

R. P. A N D R E Æ

M E N D O

LVCRONENSIS E SOC. IESV

in Provincia Castellana,

REGII CONCIONATORIS, SUPREMI S. INQUISITIONIS

Senatus Censoris, & olim in Collegio Salmantino Theologiæ
Scholasticæ Professoris, ac Sacræ Scripturæ Interpretis,

DE ORDINIBVS

MILITARIBVS,

DISQUISITIONES CANONICÆ,

THEOLOGICÆ, MORALES, ET HISTORICÆ,
pro foro interno, & externo.

OPVS ELABORATVM AD PRAXIM IPSORVM ORDINVM,
nec-non Iurisprudentum, & Confessorum.

SECUNDA EDITIO, AB IP SO AUCTORE ADDITA.




L V G D V N I,

Sumptibus HORATHI BOISSAT, & GEORGII REMEVS.

M. DC. LXVIII.

Cum Approbatione, & Permissu Superiorum.





CELSISSIMO
AC REVERENDISSIMO DOMINO DOM.
VVENCESLAO
EX COMITIBVS
DE THVN,

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI,
nec-non Passlouiensis ac Garricensis Ecclesiæ Episcopo, ac
Metropolitane Ecclesiæ Salisburgensis Præposito
dignissimo, Mœcenati nostro ac Patrono
generosissimo.



*BTVLIMVS nuperrimè EMINENTISSIMO
AC CELSISSIMO CARDINALI AR-
CHIEPISCOPO SALISBURGENSI GVIDO BAL-
DO DE THVN fratri tuo, Princeps Celsissime,
doctissimi Opus Episcopi, quod è pralo nostro
tunc temporis prodibat in lucem: quàm humil-
limi nostri significationem officij: sic pro sua so-
lita benignitate aequè bonique consuluit Prin-
ceps maior humanitate, quàm quibus undique sulget maximis ho-
norum titulis; ut vota nostra non modò cumulauerit, verumetiam*



LECTORI.

Operis ratio, & methodus.



TERTIVS hic Tomus prodit in lucem post duos alios DE BULLA CRUCIATÆ AC DE IURE ACADEMICO, vti nam eadem sorte fausta, qua illi, publicam mereatur æstimationem, & plausum. Eum in meis Operibus animam semper foui, vt non his materiis insistere, de quibus pluriam inter volumina præ manibus versarentur, sed his, quæ non exactè essent ex professo discussæ, vel paucioribus fuissent Expositoribus illustratæ. Hinc Bullam Cruciatæ elucidavi, quia ex innumeris Societatis IESV Authoribus nullus id opus susceperat; qua ratione motus eodem ferè tempore P. Franciscus Bardi Siculus, idem Opus doctè perfecit. Postmodùm de Iure Academico concinnavi Tractatum, quem nullus equidem priùs ad amussim elaborauerat. Nunc verò DE ORDINIBVS MILITARIIVS, Disquisitiones Morales, & Canonicas, pro foro, & polo in hunc librum digesti; quarum plures, & si libatæ, aut dispersæ in Authoribus reperiantur, attamen nec omnes, nec pro dignitate discussæ, nec in ordinem redactæ inueniuntur. Integros tanè libros historicos, & Apologeticos de his Ordinibus ad manum habebis; at simul ventilatas quæstiones, quæ ad Equites, & Fratres Militiarum spectant, hoc vnum Opus tibi parauit. Plurima complectitur; scilicet agit de Institutione eorum Ordinum, Priuilegijs, Foro, Iurisdictione, Informationibus, Ingressu, Nouitiatu, Professione, Votis, Patronatu, & Administratione perpetua Regum Hispaniæ, Regio Ordinum Senatu, Prælatis, Capitulis, Officialibus, Dignitatibus, Monasterijs, Collegijs, Commendis, Beneficijs, Ceremonijs, Ornatu, Orationibus, Monialibus, Bonis decedentium, Funeribus, & alijs non absimilibus, quibus tota materies penitus exhauritur, nec quidquam vterius desiderabitur. Opus equidem vtilissimum ipsjs Equitibus, & Fratribus Militiarum, Senatoribus, Iudicibus, Aduocatis, Iurisprudentibus, & Theologis; vt lites, ac dubia dirimantur; quæstiones & casus conscientiæ enodentur; & Confessarij noscant; quonam pacto se gerant in dignoscendis peccatis, & exonerandis conscientijs Equitum Militiarum, & Fratrum; & cum ad eò numerus eorum fuerit in dies adactus, frequentissimè desiderantur resolutiones, quas hic Tomus præsefert. In eius exordio Indicem Disquisitionum, & Quæstionum præponimus, vt ob oculos tota rei series habeatur. Ad calcem verò Indicem Rerum vberem anneximus, ex quo, inuestigatâ dumtaxat Disquisitione, & Numero, facillè in rem quæsitam deuenies. Quæ tibi arriserint, sequitor; quæ secùs, piâ manu correcto, nam iudicij mei minimè tenax, à quouis sapiente gaudebo emendari, & Ecclesiæ arbitrio cuncta ex animo subdo: Et etiam ea quæ in hac secunda Editione addidi, & exornavi.



D E
ORDINIBVS MILITARIBVS,
DISQVVSITIONES CANONICÆ,
THEOLOGICÆ, MORALES,
ET HISTORICÆ.

DISQVVSITIO. I.
DE INSTITVTIONE, QVALITATE,
ET DIVERSITATE ORDINVM
MILITARIVM AC DE REGIO PATRONATV.

NON est animus, Historias euoluere, Annalia recensere, antiquitatem cuiusque Ordinis Militaris vindicare, seriem Magistrorum, & rerum gestarum attexere; Hac etenim integra volumina complent, à pluribus agitata, ac discussa, nec spectant ad praxim, ad cuius scopum hic Tractatus collimat. Quare supponenda sunt potius, quam ventilanda; Et, ne vel umbram offensionis cuiquam suffundamus, nihil circa Historica decernemus, sed ab alijs latè expensa libabimus, ut cuiusque sententia, & arbitrium iusto suo libramine pensetur, quin ex breui epilogo, quo rem præstringemus, vis, aut præiudicium accrescat. Necessum fuit tamen historica attingere, ne ieiunū hoc Opus euaderet, atque etiā, ut fundamētā iaciantur, quib⁹ tota innixa Disquisitionū moles assurgat.

QVÆSTIO I.

De fine Institutionis Ordinum Militarium in Hispania.

GRASSABATUR per Hispaniam totam Maurorum infesta lues, quam ad eius excidium Africa euomuit, & post infœlicis Roderici Gothi miserabilem for-

tunam, ferè per cunctas Prouincias superbe dominabatur. Memores sui ipsorum Hispani. Pelagio Duce, sæuam tyrannidem propulsare ceperunt. Creuit in dies animus, restituit vigor: & restauratis viribus, Hispanorum arma ingentes Maurorum acies debellarunt; Vrbes, Oppida, & Prouincias obtinuerunt. Sed adhuc illi non exiguam Hispaniæ portionem occupabant, & continuo ad bellum accincti, incurribus, rapinis,

